



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. VII. Circa Famis molestiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

## Tentatio VI. Circa Famis molestiam,

XXXVII. **O**swaldus pauper Rusticus & multorum liberorum Pater, ortâ ingenti sterilitate & annonæ caritate, ad eò gravi ob inopiam suam premittitur, ut non nisi modicum panis asperitatem vix ad vitam sustentandam sufficientis tam ipse, quam liberi pro quotidiano victu habeat; ex quo non dicè à pusillanimitatis, tristitiæ & desperationis tentatur, & agitur. Quæritur, quomodo concilium armandus sit?

*Responsio.*

XXXVIII. In primis illi narret, quid olim Cælestis Novitio cuiuspiam asperitatem Ordinis sui diffinitè ferenti suaserit, ut scilicet omnem asperitatem in sanguinem lateris sui intingeret, sic enim petrus panis durus & asper dulci liquori immersus, dabitur ipse ac mollis, ac cum voluptate comestibilis efficietur, ita & quamcunque ipsius asperitatem cum asperitate Christi passionibus collatam facile emollitum, ac speciali difficultate supportatum iri; *parva enim mensura, si recordemur, quid biberit ad patibulum, quæ vitat ad cælum, ait Cassiodorus.* Nec servus famem suam modicam sentiet, qui famem Domini quinquaginta dierum spatio toleratam perpendit.

XXXIX. Secundò eidem narret, quid olim invitando Monacho contigerit, quòd nempe, cum in culo delicatè olim enutritus, crassiores in Monasterio appositos cibos comedere se non posse putaret, quòdam S. Petrus, & Honoratus, qui olim Abbas

Monasterij fuerat, in refectorio tempore prandij apparuerint, & de pyxide, quam in manu habebant, cuius Religioso, excepto Rabando, succum aliquem super olus in scutella appositum effuderint, iterumque disparuerint. Cùm ergo Rabandus curiositate ductus, modicum de scutella assidentis rapuisset, & gustasset, tantum in eo dulcedinis sensit, ut nihil tam dulce, gratumque unquam gustasse affirmaret, & deinceps omnes, quantumcumq; inspidos & crassos cibos libenter comederit. Hortetur ergo Osvwaldum, ut & ipse similem succum imponat pani suo aspero, id est, voluntatem & providentiam divinam omnia sapientissimè disponentem, & in majus bonum hominum ordinantem consideret, & haud dubiè contentissimus erit aspero pane suo, Deumque pro tam paterna dispositione benedicet, & laudabit.

XXXX. Tertio ei in memoriam revocet, quàm multi olim Eremitæ voluntariè tam tenuem victum elegerint, soloque pane & aqua per multos annos contenti vixerint; certè S. Paulus Eremita ipse factus est, sexaginta annis quotidie à corvo dimidium panem suis allatum, quo proin solo, & modicæ aquæ haustu ipse se pavit, vitamque conservavit; quidni ergo & ipse modico suo pane ob amorem & voluntatem DEI contentus vivere, Dei que ordinationi acquiescere possit.

XXXXI. Quarto illi ostendat, quemadmodum illi, qui ad splendidas nuptias aut opiparum convivium invitati sunt, ultro domi à vilioribus cibis abstinere, ut majorem sibi famem concilient, & tantò jucundiùs, avidiusque meliores escas degustare queant; ita & ipsum libenter in hac vita modico tempore famem pati debe-

re, ut in altera vita tantò suavius & copiosius celestibus olim cibus, deliciisque frui possit.

XLII. Quintò illum meminisse jubeat, quòd Christus olim Apostolis Jo. 4. dicentibus: *Rabbi munda: responderit, nempe: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Idem ergo & ipse dicat, & cum DEUS corporalem cibum subtrahat corpori, mentem saltem spiritali cibo voluntatis divinæ tantò abundantius pascat; nec dubitet, quin suavissimè sit eo reficiendus, ipsamque corporis famem faciliùs toleraturus. Sic certè S. Columbanus se solatus est, cui, cum Diabolus vasculum quæ quotidie ab alio Monacho apportari solitæ extitisset, nihil aliud dixit, quàm hæc verba, *Benedictus DEUS meus, quòd dignetur servum suum longè jejunio probare.*

XLIII. Sextò eidem suadeat, ut providentiam DEI in irracionales creaturas per alimentorum provisionem tam abundanter ostensam consideret, & inde colligat, DEUM multò magis homini, propter quem illa omnia creata sunt, necessarium victum negaturum, nisi hîc & nunc ob altissimas causas mem & inopiam magis ei utilem fore judicaret; quiescat ergo tam paternæ providentiæ, jactantem omnem curam & sollicitudinem suam in Domino certò confidat, quòd, sicut jam olim frequentè prosperitati maximæ summa abundantia successit, ita & DEUS, si ad majorem gloriam suam, hominum salutem expedire judicaverit, facillimè possit, fortunam auferre, sicque verificare illud Ps. 144. *Omnia in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, & implet omne animal benedictione.*